



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 425. Quid possit vasallus circa conscindendas arbores in fundo feudali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

secus si illud sit antiquum, ut ibidem Clarus Hanc etiam revocationem, dum aliàs ei locus est, facere non possunt remotiores agnati, dum facta in eum, qui absque eo post mortem alienantis in feudo ei successurus erat. Clar. loc. cit. n. 4. cum Belvisio in c. imperialem; si autem alienasset in agnatum remotiorem possunt filii revocare modo dicto, vel illis deficientibus, proximior agnatus. Clar. n. 5. Et quidem in hac revocatione filii, si sint, præferendi proximiori agnato, si alienatio facta jure permittente. Agnatus verò præferendus filio, si alienatio facta jure refragante. Si tamen alienatio facta in extraneum (intellige eum, qui non sit comprehensus in investitura, etsi aliàs agnatus ipsius alienantis) filii & agnati pariter admittuntur ad revocandam hujusmodi alienationem. Clar. num. 9.

2. Resp. secundo: Si facta malè alienatione, puta, in remotiorem, proximior taceret per annum, & per annos 30. si facta in externum, omnino excidit feudo, & consequenter jure revocandi alienationem, ut cum Gl. in cit. §. Titius. v. per annum; quam communiter receptam dicit Alex. conf. 15. num. 10. l. 5. Decio & aliis Clar. qu. 42. num. 10. qui etiam num. 11. conatur reddere rationem, cur minus tempus requiratur ad revocandam alienationem factam in remotiorem, quam factam in extraneum. Possunt nihilominus proximior feudum hac ratione malè alienatum non revocante, ab ita eo excidente, revocare ceteri agnati, etiam postquam is, in quem alienatum multis annis id possedit, non quidem vivente illo proximior negligente illud revocare; eò quòd illo vivente agere nequeant; impedito autem agere non currit præscriptio, sed mortuo, ita Reiffent. h. r. num. 127. citato Fachin. l. 7. num. 12.

3. Resp. tertio: Competit quoque agnatis jus retractus, si feudum antiquum absque eorum consensu venditum, ita ut etiam vivente vasallo venditore recuperare possit proximior agnatus, vel eo nolente, etiam remotior, si nempe idem pretium, quod alter dedit, offerat. Reiffent. h. r. num. 128. Arg. l. 2. tit. 9. §. porro. & tit. 26. §. Titius. juncto tit. 3. De servandis verò in tali retractu vide dicta supra de empt. & vendit. Ubi tamen proximior agnatus consentit alienationi facta à vasallo se præterito, consensus ille præjudicabit filio consentientis, quò minus is recuperare possit feudum, (etiam, ut videtur, vi retractus,) si filius ille est hæres consentientis, aut aliquid habiturus ex ejus hæreditate; cum hæres non possit retractare voluntatem defuncti, adeoque nec retractare factam ab eo alienationem, (quod tamen intelligendum de hærede, qui adivit hæreditatem sine beneficio inventarii, dum aliàs beneficium inventarii conservet hæredi omnia jura & actiones, ac si non adivisset hæreditatem. De quo vide Clar. loc. cit. n. 14.) secus, si non sit hæres, nec aliquid habiturus de hæreditate; tunc enim, non obstante patris consensu, feudum alienatum recuperare poterit; ita Clar. loc. cit. num. 12. cum Curt. Jun. dicens, sic communiter solere feudalistas distinguere. Porro dum extant agnati proximiores, remotiores & medii gradus, ipsius alienantis, consensus proximioris in alienationem factam in remotiorem non præjudicabit mediis agnatis, quò minus hi revocare possint alienationem & feudum recuperare; cum enim iis quoque sit jus quasitum tenore primæ investituræ, id iis sine eorum culpa, facto alterius auferri nequit; ita Clar. loc. cit. n. 13. cum Curt. Jun. dicens magis communem.

Quæst. 424. An feuda dividi possint à possidente illa?

Resp. Feuda majora, ut sunt Ducatus, Comitatus, etiam consentientibus consortibus dividi non possunt Arg. c. 1. §. præerea Ducatus. de prohib. feud. alien. per Frider. Imp. Socin. conf. 178. num. 1. & 2. Curt. Jun. de feud. 4. part. princip. in caus. ult. privat. feud. quæst. 30. quos citat & sequitur Clar. quæst. 44. num. 1. eò quòd sic constitutum videatur in favorem & honorem Imperii, ne scilicet talia feuda majora, quorum dignitatis titulus provenit ab Imperatore, diminuatur & destruantur. Quamvis addat idem Clar. n. 2. quòd quidquid sit de jure, communiter in Italia & certis Germaniæ partibus aliisque Provinciis omnia feuda, etiam dignitatum, præter regalia dividantur; & hanc consuetudinem ubi & in quibus feudis viget, servandam. Inferiora verò feuda, non habentia dignitatem annexam dividi possunt juxta cit. §. præerea Ducatus, Clar. loc. cit. num. 1. cum Socin. & comm.

Quæst. 425. Quid possit vasallus circa excidendas arbores in fundo feudali?

Resp. Ubi vasallus possit absolute disponere de feudo, puta, quia est simpliciter hæreditarium, vel feudum novum, possit excindere arbores illas; cum cui licet, quòd plus est, nimirum alienare feudum, multo magis licere debet, quòd minus est, puta, incidere arbores in fundo feudali. Clar. qu. 47. Qui tamen bene monet, hæc intelligenda, quantum ad præjudicium filiorum & agnatorum, qui successuri sunt in feudo; quò ad præjudicium autem domini cavendum vasallo, ne malè versetur in re feudali; cum ex ea causa possit feudo privari. Nequit tamen id ipsum, ubi feudum est tale, de quo pro libitu suo disponere nequit; est quòd etsi sit dominus utilis rei feudatariæ, non tamen sit absolute & irrevocabiliter dominus, cum post mortem restituendum feudum successorì vocato ad illud. Clar. loc. cit.

Quæst. 426. An quando & qualiter teneatur vasallus petere investituram?

1. Resp. primò: Quotiescunque contingit mutatio, sive ex parte domini, ut dum is moritur aliove modo privatur dominio directo bonorum, in quibus feudum constitutum, illudque transit ad alium. Sive ex parte vasalli, ut dum eo mortuo aliterve privato feudo, in eo succedit alius, est obligatio petendi de novo investituram seu renovationem ejus petita & concessa dum primitus constituebatur & conferebatur feudum; præstandique denuo debitum juramentum fidelitatis, ne aliàs feudum fiat caducum, l. 2. feud. tit. 24. Curt. Jun. de feud. 4. part. in 23. caus. amitt. feud. Clar. quæst. 49. num. 1. cum communi. Ratio communiter assignari solet, quòd petere investituram sit devotionis & reverentiæ, quam vasallus domino debet. Aliam addit Clar. (quæ tamen respicit specialiter præstationem juramenti & casum mutati vasalli,) nimirum quia virtus & ob-